

Frgm. I Ut rapiat, ut latrocinetur.

Vehementibus et invidiosis verbis utitur: non enim dixit: ut exposcat hereditatem, ut sibi vindicet, sed, quo vel maxime pudor consterneretur audientium, *ut rapiat*, inquit, *ut latrocinetur*, quae sine dubio non iuris 5 verba, sed sceleris ab huiusmodi cupiditate deterreant.

Frgm. II Si hercle in nostris rebus tam acres ad pecuniam, tam adtenti, tam avari soleremus esse.

Dicere quidem generaliter videtur, etiamsi in privatis pecuniis avari homines essent, in publicis tamen dis- 10 ceptionibus non oportere tantam cupiditatem pecuniae profiteri; sed procul dubio nihil aliud agit, quam ut M. Crassi mores denotet, de quo praeter historiam praeterque exitum mortis eius, in quam praeceps quodammodo ruit, cum ad diripiendas Parthiae urbes opulentissimas 15 Eufratem transisset, etiam ipse Tullius auctor est libro tertio de officiis, cuius verba inferam, quo magis, quid de moribus eius iudicarit, appareat. Sic enim mihi textum recordor: *Itaque si vir bonus habeat hanc vim, ut si digitis concrepauerit, possit in locupletum testamenta nomen 20 eius inrepere, hac vi non utatur, ne si exploratum quidem habeat, id omnino neminem umquam suspicaturum.* Deinde subicit: *At dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, qui re vera non esset heres, in foro, mihi crede, saltaret.* 25

Frgm. III Sed tamen quae sunt nostra iudicia.

Temptaverat Crassus adseverare non semel de hac Aegypti hereditate, sed frequentissime praeiudicatum, ac primo quidem illo tempore, quo pecunia repetita esse ab Tyriis et advecta Romam videbatur seposita iam nuper 30